



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX

D. Petri Apostoli Vinculorum festo in Epistola[m] Paraphrasin & in
Euangelium exegesin, vt̃ in solemnitate Apostolorum Petri & Pauli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

necessarium presentis vitæ subsidium, sancti regiminis modum, spiritualis sollicitudinis profectum. Custodi me domina hodie & in omni tempore ab insidijs diaboli, præserua me tuis meritis à laqueo peccati, impetra mihi salutem mentis & corporis, libera me ab omni concilio humane prauitatis. Eslo mihi semper veneranda comes itineris, auerte pericula cuiuscumque tribulationis. Nulla me vincant incendia libidinis, te protegente nulla me commoueat aura vanitatis. Manentem me in domo mater sanctissima, vt seruum tuum fidelem à malis omnibus protege, sanctis meritis tuis cordis mei instabilitatem restringe, mihiq; serena mentis tranquillitatem impetra, meam salutem vt mater filij cura. Rogo te sanctissima Anna domina mea per amaram Domini Saluatoris passionem, vt me tuis meritis in eius beneplacita voluntate dirigas, seruum ipsius Omnipotentis Dei me fidelem efficias, & in omni necessitate tuis mihi precibus assistas. Vitam meam tibi semper tuendam ô veneranda mater commendo, egredientem in hora mortis de corpore animam meam tibi humiliter committo, & vt mihi clementer adesse digneris in illa terribili hora supplici deuotione exoptulo. Impetra mihi obsecro in tempore obitus maximè, peccatorum meorum veram contritionem, puram confessionem, & perfectam omnium peccatorum remissionem. Sacri quoque Dominici corporis communionem, & venerandam olei sancti inunctionem. Sit, oro, te intercedente, mihi in hora mortis fides firma, spes certa, charitas in omnibus perfecta. Sit mihi humilitas vera, conscientia munda, emigratio per omnia Christiana. Cum verò anima mea iam iam egressura de corpore, mortis ceperit doloribus angustari, tunc mihi ô sanctissima mater Anna, cum filia tua, & nepote ipso Domino nostro Iesu Christo clementer velis adesse, exeuntemq; defendere, egressam verò tuis munitam præsidijs ipsi summo iudici commendare. Cumq; iudicis est acceptura sententiam, tunc vires interpone tuas ô patrona nobilis, ne pœnam incurrat pro demeritis proprijs, sed gratiam inueniat pro meritis tuis. Amen.

IN FESTO VINCVLORVM D. PETRI APOSTOLORUM principis, in Epistolam Paraphrasin & in Euangelium Exegesin require supra in Solennitate Apostolorum Petri & Pauli.

SERMO IN EODEM FESTO.

Obtemperandum esse Ecclesie præfatis: de auctoritate ecclesie: fidem solam absque operibus non sufficere: denique opera nostra quantum sint meritoria.

Tves Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam: & porta inferi non preualebunt aduersus eam. Matth. XVI. Ipsa nos præsens solennitas admonet dilectissimi, vt de illis quæ ad fidem pertinent vobis aliquid loquamur. Illius enim, vt nostis festum agimus diem, qui primus à Christo vniuersalis Ecclesie præfectus est: in qua sola vera est & catholica fi-

des ex-

T. VI
22

des, extra quam nec fides vera, nec vlla salutis spes, nec germana Dei ac proximi charitas esse potest. Et ut libentius de fide recta & catholica & alijs quibusdam eo pertinentibus vestris in auribus differamus, etiam humani feculi corruptissima nos dogmata compellunt, quae iam pridem ad multorum perniciem excogitarunt ac longè lateq; propagarunt homines quidam uera miserè, in Deum impij, in proximos cruces & iniurij, in seipso- rum longè crudelissimi: qui se iactant Euangelicos, aiuntque se verbo Dei sincero & germano obedire. Et fortassis persuadere id nobis possunt, scilicet verbo Dei se morem gerere, nec toto (quod aiunt) aberrare caelo, si repenti queat, hoc esse verbum Dei, quod abiecto iugo cuiusuis obedientiae, docent calumnias inferre pontifici, doceat Caesari resistere, doceatq; tandem repugnare cuius, quamuis à Deo sit, potestati. Et post haec omnia, doceat legem quam humanas, contemnere, adeoq; proruis faciat liberum, ut iam quicquid libuerit, liceat modo in Christum credatur: quandoquidem sola apud eos, absque operibus fides, comparat salutem. Nec obstat, quod nos non auditores, sed factores legis iustificari legimus apud Deum: nihil mouet etiam, quod obediendum monet Paulus praepositis nostris, qui per uigili curam pro animabus nostris rationem sunt reddituri. Pro nihilo denique docent, quod Christum legunt dicentem, Super cathedram Moisi sedere scribas & Phariseos: quae dicunt ipsi nobis facienda: quae autem faciunt, uobis non esse facienda, cum ea quae rectè docent nec ipsi faciant. Porro, quod Apostolis, eorumq; successoribus Christus dicit, *Qui uos audit, me audit. Et qui uos spernit, me spernit*, excutientes praetereunt: Nec aduertunt Apostolum dicentem, *omnem animam potestacibus sublimioribus subditam esse debere: quandoquidem non est potestas, nisi à Deo.* Postremo, surda audiunt aure illud, quo Christus eos ipsos notauit. *Qui Ecclesiam (inquit) non audierit, sit tributus Ethnicis & publicanis.* Et quid opus est plura percurrere, cum in veteri quoque testamento, summo sacerdoti non minorem obedientiam mandauerit Deus exhibendam? Sic enim in Deuteronomio legimus: *Si dixerit tibi uerbum ambiguum apud te esse iudicium per speceis inter sanguinem & sanguinem, carum & causam, lepram & non lepram: & iudicium in rapta tuas uideris uerba uerba, surge, & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, ueniesque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, queresque ab eis: quare uocabant tibi iudicium ueritatem. Et facies quod, unque dixerint: qui praesentem loco, qui elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbiuerit, nolens sacerdotibus obedire imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel, cunctusque populus audiens, timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.* Videtis charissimi in veteri testamento sic dubia ambigua ue occurrissent, consulendam audiendamque tunc ex Dei mandato fuisse summi sacerdotis sententiam: inobedientiam uero mortis supplicio fuisse mulctatam, quanto magis in nouo non ita amodo esse debemus, ut nullius subdamur imperio. Nec tamen adeo insipientes queramus reor, qui putet in veteri testamento obediendum, in nouo non obediendum: quandoquidem clarissimum atq; indubitatum est, non minus rem à nobis deberi obedientiam reuerentiamq; Petro, apostolis ceteris, eorundem

Verbum Dei quod iactant nostri seculi euangelici quae sit.

Rom. 13.

Rom. 7.

Hebr. 13.

Matth. 23.

Luc. 10.

Rom. 13.

Matth. 23.

Deut. 17.

Pontificis summi audiendam sententiam.

Obediendum quibusdam necesse sit

rumq; successoribus, qui euangelium nobis Christi nunciant, quam olim debeatur Aaroni, Eleazaro aut alijs secundum sacrificis, idq; quamdiu nihil, quod verbo Christi repugnet, doceant. Certo quoque certius est, magis nobis esse obtemperandum Ecclesie, quam Iudaeis olim synagogae. Ecclesiam namq; tanta est auctoritas, vt scripturam sacram & verbum Dei nobis tradat. Neque enim aliter, quam ex iudicio Ecclesiae nobis constat, quid scriptura sit, quae sacra, quae ve prophana: quae item canonica, quae ve apocryphica sit. Si itaque de scripturis iudicandi habet auctoritatem Ecclesia, adeo vt multa iam olim refutarit, quae sub nomine apostolorum vulgata erant, quaedam vero ita tolerat, vt nihil tamen ex illis possit probari, quomodo non etiam vbi in scriptura quid absens fuerit, aut ambiguum, non habebit auctoritatem interpretandi ac elucidandi? quandoquidem a Christo recepit tenetq; spiritum veritatis, qui eam doceat, atque inducat in omnem veritatem, maneatq; iuxta Christi promissum, cum ea in aeternum. Perro, abstrusa quaedam esse in sacra scriptura, quaedamq; arcana, quaedam latentia, varietas dogmatum vel haeticorum ipsa nobis demonstrat. Dum enim pro suo quique hanc captu nifus est interpretari, suo ingenio confideas, & non captiuas (quod Apostolus monet) intellectum suum in obsequium Christi, quae perperam intellexit, perperam & docuit. Nemo enim vnquam fuit haeticus, nisi qui non sane scripturam intelligens, nec genuinum illum sensum, quem ipsa loquitur inueniens, suo nifus fuerit ingenio, suoq; haereticis iudicio, atq; iudicium Ecclesiae interim spreuerit, non docens quod scriptura docet, sed quod docet ipse, ex scriptura firmare contendens. Quod tamen haudquam fieret, si non iuxta sententiam Petri quaedam in scriptura essent obiecta, quae vel indocti non capiunt, vel impij deprauant. Habet igitur Ecclesia, quae est iuxta Apostolum columna veritatis, auctoritatem quae in scriptura obscura sunt interpretandi, quae dubia pronuntiandi, & quae verbo Dei non repugnant, insituendi. Qui quid enim non fuerit contra scripturam (tantum non adeo sit expressum in ea) pro scriptura est, Christo quoque Apostolis dicente. Qui non est contra vos, pro vobis est. Haec dixerim, huc communi gratans quod non possumus obedire Deo, nisi etiã propter Deum obediamus hominibus, quemadmodum non potest amari Deus, nisi propter Deum diligatur & proximus. Inde quoq; elucet, quod solum credere non sufficit ad salutem. Neq; enim propterea tantum sua nobis Christus dedit mandata, vt haec sciamus, aut illum praeccepta dedisse credamus: sed vt praeccepta faciendo eius obediamus voluntati. Nam de operibus misericordiae vt loquamur, de quibus in extremo iudicij die Christus nobiscum disceptabit, si credendo eas, non autem operando, est satisfactum verbo Dei, ridiculum erit plane totum quod Euangelium praecipit. Vanum quoq; erit, quod Christus ad se fecerit: prosequendo regno Dei, quid factu opus sit percontanti, respondit: Si vs ad vitam ingredi, serua mandata. Deinde nonne videmus ad oculum vbi de sola fide necessaria, de operibus non necessarijs praedicatum est, quantum mox facinoribus ansam hoc dogma praebuit, quantum tumultum atq; insultum mox excitauit, quantum deniq; rebellioni, quantum contemptui Ecclesiae ostium illico apertum est? Si nihil sunt opera bona quid quae so Baptista Christi Ioannes pro seruanda innocentia, puer ad eremum fugiens, poenitentia ta du

ex Dei praeccepto.

Autoritas Ecclesiae quanta sit.

Ecclesiam iudicare de scripturis.

Ioan. 16

1. Cor. 9. Haeticum quoniam quae efficiant.

1. Pet. 5.

1. Tim. 3. Auctoritatem quam ecclesia habeat in scriptura sacra.

Credere tantum non sufficere ad salutem. Matth. 23.

Matth. 19.

Luc. 11. Scitima & haereticus huius seculi vnde ceperint ansam.

Luc. 11. Matth. 11. Ioan. 1. Matth. 11.



T. VI
22

Luca 7.

ra se attrinit? Quid gratis, imo quid falso à Christo tantopere laudatus est. Cur tandem eo non maior in regno cælorum surrexisse dicitur? Est enim maior (vt alibi quoque Christus non tacet) & minor in regno cælorum. Quem admodum Paulus quoque electorum gratias & gloriam comparans, dicitur inquit differre à stella in claritate. Quod nimirum falsum esse necessum erit, si credendo tantum, quia Christus pro nobis passus est, hæc sola nos fides saluat, id est, ad regnum cæleste perducit, nec operibus bonis erit corona: eritque tunc qui maior à Christo dicitur in regno cælorum, non melior quouis facinoroso peccatore. Erimus enim tunc omnes æquales, à

1. Cor. 15.
Fidem solam non sufficere ad salutem.

Matth. 21.
Luca 7.

Rom. 5.
2. Cor. 5.

1. Cor. 7.

Fides quæ nobis in necessitate.
Hebr. 11.
1. Cor. 13.
Galat. 5.

Matth. 7.

Psalm. 6.

Charitas vera nunquam possit esse otiosa.
Ioan. 14.
Ibidem.
Ioan. 15.

Matth. 7.
Luc. 6.

opera bona, si obseruationes mandatorum Dei pro magnitudine charitatis, quæ hæc operatur, non coronantur, aut si innocentia, vitæq; sanctitas non præstat iniquitati. Si quidem pro omnibus æquè Christus mortuus est, nihil pro vno plus, pro altero minus sanguinem fundens: atque ideo nec vnum altero plus redimens. Quapropter si nihil distamus in charitate, si nihil plus conducunt opera bona, quæ ex charitate manant, quam ea quæ extra charitatem fiunt, nemo altero erit sanctior, nemo iustior. Pro omnibus enim & malis & bonis Christus passus est, pro omnibus ipse satisfecit, omnibus denique nobis perinde factus est sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, & hostia pro peccato. Verum non ita pro nobis passus est, non ita pro nostris delictis satisfecit, vt iam non egeamus nos operibus bonis (sine quibus Dei mandata impleri est prorsus impossibile) nec ita redemit, vt quicquid post hæc fecerimus (modo crediderimus) eorum salui simus. Etenim nobis fides adeo necessaria, vt sine hac impossibile sit placere Deo: si non sola hæc nobis est necessaria. Est necessaria quoque charitas. Si enim fidem habuerit (verba sunt Pauli) ita vt montes transferam, charitatem autem non habuerit, nihil sum. Constat itaque sine charitate hominem licet tanta polleat fide damnari, Constat sola fide (si dum potest & debet bene operari renuat) non saluari, nisi poeniteat. Est ergo illa potius fides necessaria, quæ per dilectionem operatur. Porro, de fide sine charitate loquitur Christus, quando multos in nouissimo die venturos prænuñciat, atque dicturos, Domine nomen in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo demonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Nunquam noui vos. Discedite à me, ne qui operamini iniquitatem. Habuerunt ij haud dubium fidem in nomine Christi in quo prophetauerunt, & signa fecerunt. Sed quid illis profuit hæc fides absque charitate, quid absque bono opere? Neque enim fides illa si effectiua, nec charitas ipsa esse sine bono opere potuisset. Charitas enim hoc ipso se veram ostendit, si non otiosa est, si gaudet bene operari, si opere exprimit quanti faciat suum conditorem, cuius præcepta amat, quia ipsum qui præcipit, amat. Nec aliter Christus docens, Si diligitis, inquit, me, mandata mea seruate. Et: Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me. Item: Si præcepta mea seruaeritis, manebitis in dilectione mea. Et iterum: Vos amici mei si fueritis, quæcumque ego præcipio vobis. Cæterum, eos qui fidem quidem habent, & Christum Dominum vocant, non tamen ita amant, vt illi obediunt, arguit, dicens: Quid vocatis me, Domine Domine, & non facitis quæ dico? Non enim omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, hic intrabit in regnum cælorum. Denique vt fidem otiosam

nihil prodesse, verum supplicio etiam dignam intelligamus, *Omnis* (inquit) *arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Et arbori viridi folia quidem pulchra, non autem fructum habenti, dum Christus maledicit, atque mox aridam sua maledictione efficit, quid aliud quæso voluit significare, nisi eos qui per fidem in Ecclesia sunt virides, folia speciosa, id est, verbum Dei in ore ferentes, non autem habentes fidei fructum, hoc est, opera bona, utpote arbores steriles, quæ non faciunt fructum bonum dignos esse diuina maledictione, ut sic infructuosi excidantur, & in ignem mittantur? Itaque quod verissimum est, Christus peccata nostra deleuit, Christus per sanguinem suum nos redemit, Christus ex filiis iræ, ex filiis dissidentium, ex filiis diaboli & tenebrarum nos filios gratiæ, filios adoptionis, filios Dei, atque regni sui cohæredes fecit: quia suis operibus sua redemptione, sua morte nos viuificauit: quia poenam æternam, cui dum inimici essemus obnoxii tenebamur, nobis abstulit: quia supplicium malorum seruorum, in filiorum prædilectorum virgam mutauit: quia nostris operibus, posthac, utpote ijs, quæ sua ipse gratia in nobis operatur, satisfaciendi, placandi atque merendi virtutem indidit, atque sua dignatione, non necessitate adactus, sed dignatione inquam sua (quia sic vult & promissit) coronam tribuit, atque mercedem. Inde igitur fit, ut quod ex nobis ipsis alioqui haudquaquam possumus, ex ipsius gratia & passionis merito possumus. Gratia enim Dei sumus id, quod sumus. Siue igitur fidem, siue charitatem, siue opera bona habeamus; ex ipsius gratia habemus, & gratis, id est, absque merito (ut gratia appareat gratia) habemus. Non autem ita gratis, id est, ut ociosa in nobis hæc maneat sed ut voluntatem Patris nostri faciamus, qui in cælis est: quod nequaquam faceremus, nisi in illum credentes, in illum sperantes, & illum amantes. In Christo itaque radicati, & per gratiam eius confortati, omnia possumus, qui ex nobis ipsis nihil sine ipso possumus: sed in eo inquam possumus omnia, qui nos confortat. Itaque extollatur gratia, quantum potest, deprimatur humana infirmitas, quantum potest: non potest maior sanctiorque Dei gratia in nobis prædicari, non potest humana præsumptio magis humiliari, quam si dicatur sentiaturque, sine gratia Dei nihil nos posse, per gratiam Dei omnia nos posse. Atque ideo quamuis nonnullis Christus dixisse legatur: *Fides tua te saluum fecit* (quod certe de sospitate corporis, quam homines querierant plerumque, aliquando etiam de animæ reconciliatione Christum arbitramur locutum: non autem de beatitudine cælesti, quam nondum fuerant assequuti: imo à qua adhuc poterant excidere, utpote in gratia necdum confirmati) ego tamen haudquaquam mihi vsurpare hæc verba audeam. Fides mea me saluum fecit. Quippe qui nec Petrum, cælesti iam gloria securum, arbitrari audeo id sibi arrogare, ut diceret, Fides mea, aut opera mea me saluum fecerunt: sed dicere cogere tur & ipse: Gratia Dei me saluum fecit. Longo namque intervallo distant dicere: Fides mea me saluum fecit & gratia Domini mei Iesu Christi per fidem me saluum fecit. Siue igitur fides, siue opera prædicentur, nec fides est saluifica sine operibus, nec opera placent Christo sine fide: omnia autem per gratiam Domini nostri Iesu Christi. Ab eo enim habemus fidem, quibus donatum est, ut credamus in eum.

Math. 7.

Ficus à Christo maledicta ut fignet osera bonorum operum.

Beneficia Christi quæta n. bis exhibuerit.

1. Cor. 15.

Gratis quomodo omnia à Deo habeamus Math. 5. Ioan. 5. Philip. 4. Ioan. 15.

Gratia Dei quam possumus. Math. 9. 15. Marc. 5. 10. Luc. 7. 11.

Fides quomodo saluate dicatur quæquam.

Nec fidem sine operibus, nec opera sine fide prædesse. 1. Cor. 1.



T. VI
22

2. Cor. 1.
Ioan. 15.
Philipp. 4.
Gratiam nos
posse per gra-
tiam mereri
quid sit.
E. aig. 24.

Opera nostra
quomodo
merito pre-
mioque digna
sunt.

Math. 5.
Luc. 6.
Math. 10.
Marc. 9.
Sapient. 16.
Rom. 1.
Glat. 2.
Sine operi-
bus iustifica-
ri hominem
ut intelli-
gendum.

Ad iustifica-
tionem fidei
quomodo
peruenitur.

Iacob. 2.

Ab eo habemus bona opera, quia sine eo nihil possumus facere. Possumus autem omnia in eo, qui nos confortat. Possumus gratiam per gratiam mereri, hoc est, possumus gratia sic uti, ut illa aut crescat, aut illi maior adiciatur: possumus per gratiam caelestem gloriam obtinere siue mereri. Quid enim est mereri nostrum, si excludatur gratia? Profecto nullum. Meritum ergo nostrum, est gratia. Nam quomodo operibus nostris, quae Christus (ut scriptura refert) ipse omnia operatur in nobis, deest tanta virtus, vel ex eo quod Christus sua haec gratia operetur, ut ipsi meriti praeiumve negetur, quandoquidem iam non sunt nostra, sed Christi, nisi quia ea nobis donat, & tanquam nostra, reuera tamen sua, coronat in nobis?

Operibus certe humanis, ut humanis, seclusa gratia Dei perspicuum est, nihil meriti praemijve aeterni deberi. At gratiae diuinae, quae non sola, sed nobiscum in nobis operatur, quis neget inesse virtutem, ut nihil possit facere merito aut praemio quicquid operatur dignum? An ita inuidus est Deus, ut ipsi operibus, quae in nobis & nobiscum ipse operatur, nihil velitari mercedis aut adeo inops, adeo infirma, adeo denique impotens, acque vilis est eius gratia, quae nihil queat mercede praemiove dignum in nobis operari. Et ubi interim est: *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis?* Vbi vero quod idem Christus dixit Apostolis, imo nobis omnibus: *Quisquis poturus dederit vobis calicem aquae frigidae in nomine meo, quia Christus sitis, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam?* Vbi denique, quod Reddidit Deus mercedem laborum sanctorum suorum? Aliaque id genus permulta. Verum obiicit aliquis, Apostolum dicere non vno in loco iustificari hominem per fidem sine operibus legis. Si ergo per fidem & sine operibus, iam igitur non per opera. Ergo, dicat Apostolus hominem iustificari sine operibus legis, nunquid dicit etiam iustificatum, iam in iustitia seruari, saluarique sine operibus legis, hoc est, sine operibus bonis? Ita enim nunc permittimus haec verba accipi, quamuis sciamus, de quibus operibus, quibusque hominibus scripserit haec verba Paulus. Verum sit esto. Bene Paulus dicit hominem iustificandum, non indigere operibus bonis praecedentibus, quae impetrent ei iustificationem, aut vnde iustificetur, sed fide: nullo autem modo dicit iustificato (si uiuat, & possit) non bona opera, quae sequantur necessaria ad consequendam felicitatem.

Quomodo enim Dei praeccepta impletur, nisi bene operans? Peruenitur itaque ad fidei iustificationem non merito bonorum operum, sed gratia Dei, quae vacua esse non potest, id est, sine operibus bonis in eo qui iam iustificatus est: & hoc si uiuat. Nam si cum crediderit, mox de hac vita discedat, iustificatio fidei, quam non praecedentibus obtinuit bonis operibus, manet cum ipso: quia non merito, sed gratia peruenit ad illam: nec consequentibus: sed Domini misericordia obtinet salutem: quia in hac luce esse non finitur, ut vel bene operando obtinere possit Dei voluntati. Non igitur dicit Apostolus hominem iustificari per fidem sine operibus, ut quicquid postea egerit accepta fide, etiam si male vixerit, dicamus tum iustum, sed ut Dei gratiam cognoscamus, quae iustificatus sit, & non ex operibus. Sequuntur enim bona opera iustificationem, non praecedunt iustificandum. Nam qui post fidei acceptionem nolunt

nolunt bene operari, de ijs Apostolus Iacobus loquitur, quod fides eorum, si non habeat opera mortua est in semetipsa. Hunc liquet manifestissime operibus humanis quæ ante iustificationem fidei (qua ex infideli fidelis, ex impio fit iustus) homo operatur, nihil deberi præmij mercedisve cælestis. Porro ijs quæ iustificationem sequuntur, quibus iustus, sicut scriptum est, iustificatur adhuc, id est, quibus ex iusto fit iustior, meritum & præmium nemo sapiens negabit. Postquam enim per fidem gratia Dei in homine habitare cepit, postquam Dei charitas in illum diffusa est per Spiritum sanctum qui datus est ei, postquam homo ille Dei filius per adoptionem gratiæ factus, postquam per gratiam confors, ut Petrus ait, diuine naturæ effectus est, quis negabit eiusmodi hominem gratia Dei in illo operante, bona agere posse, quibus debeatur & meritum & præmium? Præcipuum enim quod in eo operatur, est gratia, licet non absque assensu & conatu voluntatis humanæ.

Debetur itaq; meritum, & debetur & præmiū ijs operibus bonis, nō quibus nos Deum constituamus nobis debitorem, sed quia sua benignitate (qua sic vult) constituit seipsum nobis debitorem, ut opera hæc bona, quæ ipse in nobis sua gratia vult operari & coronare, non careant merito ac mercede. Imputat ergo homini meritum & mercedem, quia sic vult, & sic eius decet bonitatem infinitam. An non licet ei, an non potest quæ vult facere? An oculus hæretici nequam est, quia ipse bonus est? Certè hæc gratiæ eius est potissima cōmendatio, quod adeo bonus est Deus, ut ipse licet per gratiam suam hominis mentem exciter, confortet, iuuet, cooperetur, bonumq; opus in nobis perficiat atque consummet: quicquid tamen est ibi laudis & meriti, totum donec imputetur hominis voluntari. Vult enim eadem opera hominis censeri, hominiquæ pro illis se debitorem constituere, atque promittere retributorē. Quomodo posset eius gratia maior laudari, quā quod ita hominē Deus dignatur, ut operetur in eo, detq; illi merita quæ coronet? Nonne hoc modo eius gratia magis agnoscitur, prædicaturq; illustrior, quam si diceretur, nulla bona opera tamen si Deus operetur in nobis & velle & operari mercedem coronamve habitura? An iustitiæ quoque diuinæ non hoc magis congruit, ut gratiæ instinctum, adiutoriumq; recipiens ac obtemperans coronetur, gratiæ autem remittens aut eam cōtemnens damnetur, quā ut suo duntaxat arbitratu Deus vnū cælo dignetur, alium supplicio damnare? Et quid quæso peccauit in nos gratia Dei, ut in homine (quem sibi Deus iam adoptauit, quem suæ naturæ consortem fecit), quemq; gratiæ atque subinde virtutis suæ participem fecit) negemus illi, hoc est, gratiæ simul cum homine atque præcipue bonum operanti virtutem mercedi, efficaciamq; præmij cælestis obtinendi. Hoc itaque pro cōstanti nunc relicto, si aliter nihilominus ego cuius homini Christiano, ut relicta hæc dispensatione, ex toto corde, ex tota anima, & tota virtute Deū diligere, illiq; obtemperare satagat, neque supplicium, neq; mercedē cogitās, sed Deo placere, eisdemq; acceptum se facere cupiens, operetur bonū ad omnes, & ubicunque potest: nihilominus existimet se nihil fecisse, sed velut Dei mendicus ante ianuam patris oret nunc pro misericordia, nūc pro gratia, pro virtute doniq; & auxilio in tempore tentationis opportuno. Nihil tamē interim eorum

Cuiusmodi operibus præmium reddatur. Apoc. 22.

Rom. 5.

1. Pet. 1.

Opera nostra ut merito & premio digna sint.

Math. 10. Gratiæ Dei quid potissimum commendat.

Philipp. 2.

ut sit semper recte agens, & totum submissis de se sentie dnm. Deuter. 5. Math. 22. Lucæ 14. Galat. 4.

T. VI
22

Boni quicquid facit homo, quo referre debeat. Meb. 10.

Fiducia vbi praeipue collocanda.

Via securissima ad gratiam Dei qua.

1. Theff. 5.

1. Cor. 1.

1. Tim. 1. Ioan. 14.

Matth. 18.

Hereticorum impudens temeritas.

Spiritualis omnia dijudicans quis sit.

quae sunt beneplacita Deo, quoad potest, negligat. Quantumuis etiam orauerit, quicquid pro Dei honore certauerit, quantumuis boni operatus fuerit, nihil sibi arroget, sed totum Dei gratiae, qua se cognoscat indignissimum, ascribat: Si vero peccatorem & inutilem seruum, in quo nihil sit praemio dignum, iudicet. Credat alios homines per gratiam Dei mereri, se vero, qui spiritui gratiae toties contumeliam fecerit, flet, atque nihil adhuc fecisse se existimet, cui merces sancta debeat.

Ideo quamlibet charitate feruens, quantumuis bene ac sedulo operans, de operibus suis nihil profus confidat: in passione vero ac morte redemptoris, in eiusdemque copiosissima misericordia spem omnem sibi constituat. Huius oret, credat, speretque merita sibi applicari. Et hoc titulo regnum Dei, atque caelestem beatitudinem expectet. Hanc puto securissimam viam, qua videlicet gratiam Dei non in vacuum recipiamus, gratiaeque virtutem merendi tribuamus, Christo ascribamus dignitatem & beneuolentiam: nobis vero ipsis nihil nisi peccatum. Hoc enim modo Deum extollimus, gratiam eius praedicantes, nos vero ipsos humiliamus. Verum de hoc satis nimiumque fortasse, nisi quod iuxta Catholicae fidei normam paulo filius hinc instituendam putauimus charitatem vestram, ne seduci se patiar ab hereticis nostris, qui sibi iuxta Apostolum permissum esse volunt probare omnia, & quod bonum est tenere. Bene quidem, si quod bonum est, tenerent. Iam vero non quod Ecclesiae vnicuique bonum est visum, tenent: ideo non quod bonum est, sed quod bonum illis videtur malunt tenere. Scriptum quoque legunt pariter in Apostolo: *Spiritalis omnia dijudicat*, eadem verba, vix ita multa perperam intelligentes, quasi liceat illis quod ab Ecclesia semel iudicatum est atque iam receptum, iudicare de nouo: matris Ecclesiae sententiam discutere, iterumque in dubium, quae rata sunt, reuocare. Nam si putanda est Ecclesia errasse (quod reor non dicent) iam Ecclesia quam Paulus columina vocat veritatis, cui & Christus veritatis spiritum promisit, qui maneat cum ea in aeternum, non erit Ecclesia, fessellitque Christus, cuius contra promissa Ecclesia non veritatis spiritu, sed spiritu ducitur seduciturque erroris. Deinde de falsum quoque erit id, quod idem Christus: *Si duo inquit, ex vobis confesserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in caelis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Si in veteribus olim concilijs tot sanctissimi viri ex omni pene natione quae sub caelo est conuocati, vbi Spiritu sancto inuocato de fidei negotijs cepit est tractari, hallucinati sunt: si trecenti, in qua, pluresve sanctissimi viri personam Ecclesiae exprimentes, & Dei nomine congregati, in rebus fidei errauerunt omnes, quo pacto nescio quis ex latebris hodie prodiens, & Spiritu sancto se illustratum iactans, putabit se recte sentire, Ecclesiamque dijudicare posse & corrigere? Proh nefas in quantam caliginem superba praesumptio quosdam praecipitat. Quapropter aliter atque putant haec verba Pauli intelligenda sunt: videlicet, si noui peregrinive aliquid dogmatis cepit praedicari, qui spiritualis est, hoc est, cuius mens luce Spiritus sancti illustratur, & qui spiritu viuere docetur (quod multum valde est, vt quis haec sibi arroget) is dijudicat omnia, puta perspicuus in hoc dogmate, atque expendens singula, obseruat ne quid sacrae scripturae contrarium recipiat, ne quid

quid Ecclesie placitis non consentaneum credat, ne quid etiam, quod iam ab Ecclesia iudicatum atque definitum est, in dubium iterum vertat, hoc est, ne quod illa damnat, ipse recipiat, aut quod statuit illa, bonumque pronuntiat, ipse damnet. Nam de spiritu atque iudicio Ecclesie (nisi stipes fuerit) non potest dubitare: de suo vero spiritu aut iudicio merito potest nec parum debet hesitare. Quod enim Spiritum sanctum receperit habeatque Ecclesia, dubium non est. An vero ipse receperit nec ne, quis dicit illi? Equis contra ecclesiam se erigens, Spiritum sanctum sibi arrogabit? Verum si tam reperiat tumidus, inflatus sensu carnis, vanus, superbus quispiam, qui iudicio Ecclesie suum prætulit, aut qui ab Ecclesia etiam desierit aut disenserit, certum est illum eo spiritu non illustratum, quem recepit, quoque regitur Ecclesia. Hic enim, quem Ecclesia omnesque Ecclesie filij ac membra recipiunt, non est nisi vnus, idemque spiritus, spiritus pacis & non disensionis. Spiritum igitur alium credendus est is qui eiusmodi est, recepisse, puta satanicum, qui spiritui Ecclesie, hoc est, spiritui sancto repugnat: idque propterea sibi agnoscat contigisse, nempe ob temeritatem & nimiam arrogantiam suam, qua suum intellectum nesciat aut non velit captiuare in obsequium Christi, nec ipsam voluerit cum reliquis Ecclesie filijs sapere. Hi itaque sunt insolentissimi illi impostores, qui ad Ecclesie contemptum omnia illa antiqua, ab omnibus recepta, totque seculis comprobata, atque quasi per manus patrum ab Apostolis hucusque nobis tradita cõuellunt: Bohemicam vero illam licet olim damnatam sentinam, Ioannis quoque Hus fabulam, & obsoleta quæque impiissima dogmata reuocare, atque denuo instaurare, nonnulla etiam magis adhuc execranda statuere moluntur. Qui sacramentis virtutem quibusdam autoritatibus adimunt: qui sacerdotij ordines plebi etiam prophane atque adeo feminis tribuunt: qui enarratoribus illis Euangelij tum antiquissimis, tum sanctissimis, Nazianzeno, Basilio, Nissano, Damasceno, Athanasio, Hieronymo, Augustino, Chrysostomo, Gregorio fidem omnem abrogant, quo suas impietates facilius statuunt, quoque suis impijs sententijs (cum eorum mens tam sit indocta, quam vita reprobâ) autoritatem adijciant. Quibus vos dilectissimi aures præbere nunquam debetis, sed fugere eorum confortia, vitare congressus, odire impietatem, & execranda dogmata, fortiterque in ea perseverare Ecclesia, quam Christus, vt ipse ait, supra Petrum extruxit, non quasi primum ac primarium fundamentum, quod non est aliud, quam ipse Christus, vt Paulus affirmat, sed alterum à se: in qua nimirum Ecclesia quisquis perseverat fide, & spe & charitate munitus, non potest seculi fluctibus obrui, nec perire vnquam in hoc mari magno: sed sicut olim qui in arca Noe erant diluuij excidium liberi euaserunt, ita & ipse securus ad æternæ salutis pertinet portum gratia & benignitate Christi Iesu, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Coloss. 2.

1. Cor. 14.

Hæretici cur
spiritu satanæ
regantur.2. Cor. 9.
Hæretici huius
seculi quæ
sunt intolerantes.

Matth. 16.

1. Cor. 1.

Genes. 7.